

Oppon. 5.^o Principium essendi et principium cognoscendi sunt unum et idem. Atqui principium essendi non est species intentionalis, sed forma physica rei. Ergo sensus non cognoscit per species.

Resp. Dist. mai. Principium essendi et principium cognoscendi sunt unum et idem ex parte rei cognitae, *Conc.* Ex parte cognoscens, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

Oppon. 6.^o Si in sensu daretur species sensibilis, causata a rebus, admittenda foret in facultate cognoscitiva rei similitudo seu imago, quae non esset cognitio. Atqui hoc repugnat. Ergo.

Resp. Dist. mai. Admittenda esset in facultate cognoscitiva rei similitudo, quae non est cognitio in actu secundo, *Conc.* In actu primo, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

Oppon. 7.^o Si in sensibus causaretur a rebus species sensibilis, ipsa esset praesens facultati cognoscitivae. Atqui id quod est praesens alicui facultati cognoscitivae est obiectum illius facultatis. Ergo, posita specie sensibili, sensus non cognosceret res, sed species rerum.

Resp. Dist. mai. Esset praesens facultati cognoscitivae ut forma actuans potentiam et faciens unum cum ipsa, *Conc.* Ut terminus et obiectum cognitionis, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

ARTICULUS V.

DE SENSU INTERIORI SEU DE SENSU COMMUNI.

CONTINUATIO RERUM. Sensus dividi bifariam, nempe in sensus externos et internos, a nobis superius notatum fuit. De sensibus externis, quorum actio origine et generatione prior est, quantum instituti nostri ratio patiebatur, satis explicatum. Ad completam cognitionis sensitivae expositionem praestat aliquid de sensibus internis disserere. Qua in re duces et magistros sequemur Aristotelem et S. Thomam, quorum primus postquam locutus fuerit de sensibus externis et de triplici sensibili, statim aggreditur quaestionem de sensibus interioribus, et praesertim duorum meminit, nempe sensus communis et phantasiae (1). Alter vero ulterius profundiusque rem considerans, ex iis quae ad vitam animantium perfectorum tutandam necessaria sunt, rite conclusit, dari in talibus animantibus quatuor sensus internos, videlicet sensum communem, imaginationem, aestimativam, et rememorativam.

En Angelici Doctoris argumentatio. Natura non deficit in necessariis. Iam vero vitae et incolunitati animalium perfectorum

(1) Cf. ARIST. *De Anima*, lib. II, cap. XVIII, XIX et XXI.

praeter sensus externos, necessarij sunt quatuor sensus interni mox memorati. Ergo. Etenim, ut assumptionis veritas in perspicuis ponatur, ad perfectam sensuum cognitionem, qua animal possit propriae vitae necessitatibus et utilitati prospicere, quinque potissimum expositulantur: 1) Ut sensus recipiat species a sensibilibus; et hoc pertinet ad sensum proprium. 2) Ut de sensibilibus perceptis diiudicet, et ea ad invicem discernat; et hoc spectat ad potentiam ad quam omnia sensibilia perveniunt, quae nuncupatur sensus communis. 3) Ut species susceptae sensibilibus conserventur; nam animal indiget apprehensione sensibilibus non solum ad eorum praesentiam, sed etiam ad eorumdem absentiam, secus non posset moveri motu progressivo ad aliquid absens quaerendum. Facultas, quae huiusmodi species conservat, dicitur imaginatio seu phantasia, quae propterea dici solet thesaurus specierum sensibilibus. 4) Requiritur quaedam intentiones, quas sensus non apprehendit, sicut nocivum et utile: necessarium quippe est animali, ut quaedam quaerat et alia fugiat, non quia sunt convenientia sensui, vel secus; sed propter utilitatem vel detrimentum, quod inde capiet. Sic ovis lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris vel figurae, sed quia inimicum naturae: contra volucres paleas colligunt non propter oblectamentum sensus, sed quia ad nidificandum sunt accommodatae. Facultas apprehensiva talium intentionum appellatur aestimativa vel instinctus. 5) Demum requiritur ut huiusmodi intentiones conserventur, et hoc pertinet ad rememorativam, quae idcirco dicitur thesaurus huiusmodi intentionum (1).

Quid sensus communis? Quemadmodum cuilibet exploratum est experientia, nos non solum sensibilia externa percipimus; verum etiam apprehendimus, fieri in nobis plures sensationes ad diversos sensus pertinentes, inter easque rite discernimus. Sic et sentimus nos sentire, et discernimus, nos sentire album, dulce, sonorum, asperum. Iam vero sensus, qui huiusmodi sensationes cum eorum obiectis apprehendit, inter easque discernit, ab Aristotele, et post eum a posterioribus Scholasticis, et in primis a S. Thoma dicitur sensus communis, qui definiiri solet: *Facultas organica, quae percipit et discernit sensationes et sensata sensuum externorum in eorum praesentia.*

Philosophorum sententiae. Philosophi tum veteres tum recentes generatim in eo conveniunt, quod admittant, nos cognoscere proprias sensationes, et inter eas rite distinguere; verum in declaranda facultate, quae hanc operationem quadantenus reflexivam elicit, acriter dimicant inter se. Plato quippe tuetur, nullum peculiarem sensum posse suas aliorumque sensuum operationes cognoscere, neque dari aliquam potentiam sensitivam, quae attingere valeat operationes quinque

(1) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De Anima*, a. 13; 1 p. q. 78, a. 4.

sensuum, earumque differentias. Quare videtur attribui animae intellectivae virtutem cognoscendi varias sensationes, et unam ab altera discriminandi. Aristoteles contra Platoni adstipulatur in eo quod concedat, nullum peculiarem sensum posse suas sensationes apprehendere; sed adversus Platonem docet, admittendam esse facultatem sensitivam, quae cognoscat sensuum propriorum sensationes, et inter ipsas rite discernat. Haec potentia sensitiva, quae est quasi radix et centrum omnium sensuum exteriorum, quorum operationes in se recipit, et ab ipsis immutatur, nominata a Philosopho fuit sensus communis, vel interior sensus. Doctrinam Philosophi politiores inter Scholasticos post S. Augustinum ultro amplexi sunt, eamque S. Thomas luculenter explicavit, maximeque perfecit.

Ad recentes quod attinet, Cartesiani, qui, labefacta unione substantiali inter animam et corpus, ex una parte operationes sensitivas non secus ac intellectivas tribuunt soli animae, ex alia vero parte tum potentias, tum operationes reducunt ad diversos modos essendi eiusdem animae ab ipsa minime distinctos, propositam quaestionem solvere iuxta rei veritatem nequaquam possunt. Immo penes ipsos quaestio proposita est solum de nomine, non autem de re; cum realiter ex eorum sententia eadem substantia animae omnia immediate apprehendat, quin aliqua potentia ut principio proximo operationis utatur. Quare ut praecipuum solummodo meminimus, Cartesius et quidam eius discipuli docent, pertinere ad *conscientiam* vel *sensum intimum* omnes animae operationes cognoscere. Mallebranchius hoc tribuit intellectui. Leibnitiu vero nullam admittit peculiarem vim in anima ad hoc cognoscendum; sed docet, quasdam animae humanae perceptiones coniunctam habere *apperceptionem* seu conscientiam sui, et esse illas quae distinctae nominantur.

PROPOSITIO.

Exsistit in homine quaedam facultas a sensibus propriis distincta, cuius munus est cognoscere et discernere sensationes omnium sensuum. Haec facultas, quae dicitur sensus communis, est organica, ideoque ab intellectu diversa (1).

Prob. 1.^a pars. Homo, uti experientia constat et ab omnibus admittitur, cognoscit cuiusque sensus sensationes, et inter eas discernit; nam non solum cognoscit differentias albi et nigri; sed etiam albi et dulcis. Atqui huiusmodi perceptiones revocari debent ad unam potentiam a sensibus propriis distinctam, ad quam sensationes

(1) De hac re cf. S. THOM. *De Anima*, lib. III, lect. 2 et 3; 1 p. q. 78, a. 4.

perveniant omnium sensuum specialium. Ergo exsistit in homine quaedam superior potentia, quae cognoscit et diiudicat perceptiones sensuum. Et revera homo discernit inter sensationes et sensata sensuum propriorum. Iam vero hoc 1) non potest fieri a sensibus particularibus, qui attingere non possunt sensata aliorum sensuum; et sic visus, qui non potest percipere dulcedinem, non potest distinguere inter album et dulce; 2) et debet fieri ab una potentia; nam impossibile est inter plura distinguere, nisi ab eodem, qui distinguit, cognoscantur termini distinctionis. Ad hanc doctrinam illustrandam affert Aristoteles duplex simile in hunc ferme modum. Licet contingere possit, ut ex duobus hominibus unus cognoscat album, alter cognoscat dulce; nihilominus necesse omnino est, ut qui cognoscit, album non esse dulce, sit unus homo et eliciat unum actum, quo dicat, album non esse dulce. Ergo idem dicendum de sensibus. Iterum qui dicit ore, album non esse dulce, debet esse unus homo. Ergo etiam qui dicit mente, album non esse dulce, debet esse unus homo; et propter eandem rationem sensus, quo diiudicamus, unum sensibile non esse aliud, debet esse unus. Ergo ut possimus discernere sensationes et sensibilia omnium sensuum, praeter quinque sensus speciales adstruendus est aliquis sensus communis percipiens sensationes et sensibilia omnium (1).

Confir. ex eo quod, cum sensus sit facultas organo affixa, non potest suam propriam operationem cognoscere, idest supra seipsum reflectere. Consequenter sensus quilibet cognoscere poterit suum obiectum sensibile; nunquam vero suam sentiendi operationem. S. Thomas sic paucis declarat, visum non posse percipere suam visionem: « Hoc non potest fieri per sensum proprium, qui non cognoscit nisi formam sensibilis, a quo immutatur; in qua immutatione perficitur visio, et ex qua immutatione sequitur alia immutatio in sensu communi, qui visionem percipit » (2).

Prob. 2.^a pars, nempe sensum communem non esse facultatem intellectivam. Sicut potentia visiva apprehendit concrete differentias albi et nigri, et non eorum quidditates, ideoque est facultas organica et sensitiva; ita sensus communis apprehendit concrete differentias, quae intercedunt inter sensationes et sensibilia diversorum sensuum, et non eorum quidditates. Ergo sensus communis est facultas organica ab intellectu penitus diversa (3). Sic dilucide Aquinas: « Cognoscere sensibilia in quantum sunt sensibilia, est sensus. Cognoscimus autem differentias albi et dulcis non solum quantum ad quod quid est

(1) Cf. ARIST. *De Anima*, lib. II, text. 146, n. 4.

(2) 1 p. q. 78, a. 4 ad 1; quod sensus non sit reflexivus cf. S. THOM. 1 p. q. 87, a. 3 ad 3.

(3) Cf. ARIST. *De Anima*, lib. II, cap. XIX, text. 144, 145.

utriusque, quod pertinet ad intellectum; sed etiam quantum ad diversam immutationem sensus, et hoc non potest fieri, nisi per sensum » (1).

Confr. Sensus communis invenitur etiam in animalibus brutis. Atqui in brutis non est intellectus. Ergo facultas haec nequit revocari ad potentias intellectrices. Quod animalia sentiant se sentire, hoc minime in dubium revocari potest, si eorum operationes motionesque consideramus, quibus unum sensibile prae aliis seligunt, vel ex uno sensibili accepto per sensum moventur ad aliud, quod est alterius sensus obiectum. Praestat audire S. Augustinum: « Arbitror illud esse manifestum, sensum illum interiorem non ea tantum sentire, quae acceperit a quinque sensibus corporis; sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moveret se, vel appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentire sentiret » (2).

Totam hanc doctrinam ita complexus est Scotus: « Cum potentia sit principium operationis animae, oportet, omnes operationes ad aliquam potentiam reduci; cognoscere differentiam albi et dulcis est operatio animae: hoc autem non reducitur ad potentiam intellectivam, quae tantum habet cognoscere de rebus intelligibilibus et eorum differentis; differentia autem albi et dulcis cognoscitur ab anima, non tantum ut differunt per suas quidditates, sed etiam ut sensibilia sunt. Quod patet, quia brutum, in quo non est intellectus, cognoscit eorum differentias, ut unum sensibile alteri praeligat, vel praecoccupet » (3).

Angelico Doctori et Scoto in vindicanda existentia sensus communis praeverat B. Albertus Magnus inquires: « Nos diiudicamus inter sensata secundum idem et diversum . . . Cum enim unius diiudicantis sit cognoscere unum diiudicatorum, oportet quod illud iudicium fiat aliqua virtute; et cum sit inter sensata, secundum quod sensata sunt, et non secundum quod imaginata et intellecta, oportet quod illa vis habeat nomen sensus; et cum non sit ad unum sensatum, sed ad plura, non erit sensus proprius, sed communis » (4).

SCHOLION. Sensus communis Scholasticorum et sensus fundamentalis Rosminii. Ex iis, quae de sensu communi hucusque disseruimus, pronum est inferre, operationem eius non praecedere, sed subsequi actionem sensuum exteriorum; nam proprium immutativum sensus communis est actio sensus externi. Quare sensus communis Scholasticorum nullo pacto confundendus est cum sensu fundamentalis, quem Rosminius effinxit, quemque praecedere docuit operationes sensuum propriorum, cum, iuxta Rosminium, sit constans

(1) *De Anima*, lib. III, lect. 3.

(2) *De lib. arbit.* lib. II, cap. IV, n. 10.

(3) *De Anima*, q. 11, resol.

(4) *De homine*, tract. I, q. 23, a. 1.

perceptio proprii corporis. Haec Rosminii opinio ad libitum conflictata ex falso illo dogmate procedit, quod sensatio sit actus solius animae, et confundit perceptionem, quae est actus, cum facultate perceptiva, et demum falso admodum tuetur, organum esse obiectum sensationis, ideoque referri ad animam, ut activum et immutativum ad passivum et immutatum. Equidem sensus communis dici potest fundamentalis, sed solum respectu phantasiae, aestimativae, et memorativae, quae facultates proprias actus efficere nequeunt, quin actio sensus communis antecedit. Sed respectu sensuum exteriorum sensus communis sapienter dicitur a S. Thoma centrum, ad quod terminantur immutationes omnium sensibilium. Hinc licet secundum essentiam sit una potentia; nihilominus est quodammodo multiplex secundum esse, quia coniungitur cum pluribus sensibus, quorum operationes ad ipsum perveniunt, ab eoque cognoscuntur. Rem sic eleganter declarat S. Thomas: « Sensus communis quamvis sit una potentia secundum essentiam; tamen aliquo modo multiplicatur secundum esse, in quantum coniungitur diversis sensibus propriis, sicut unum centrum coniungitur pluribus lineis. Unde immutationes omnium sensibilium simul terminantur ad sensum communem, sicut motus, qui esset per omnes lineas, posset simul terminari ad centrum » (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.º Ad iudicandum de sensibilibus sufficiunt sensus externi. Atqui si sensus externi sufficiunt, supervacanea est facultas interior ad ea cognoscenda. Ergo.

Resp. Dist. mai. Sensus externi sufficiunt ad iudicandum de sensibilibus et de eorum differentis, *Neg.* De sensibilibus tantum, *Conc. Contradist. min. et Neg. cons.*

Explico. Solutio patet ex superioribus explicatis, et ex ratione tradita, ob quam necessarius est sensus communis. Animal quippe cum quaerere debeat utilia, et contraria repellere, non solum cognoscere debet sensibilia, sed etiam eorum differentias percipere. Hoc autem a sensibus propriis praestari nequit (2).

Oppon. 2.º Commune non potest dividi contra proprium. Atqui si non datur haec divisio, sensus communis non potest numerari inter facultates sensitivas. Ergo.

Resp. Dist. mai. Si est commune per praedicationem ut genus, *Conc.* Si est commune ut principium et radix, ex qua plura fluunt; vel ut centrum, ad quod plura referuntur, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

(1) *Quodlib.* 7, a. 2 ad 1; cf. *ARIST. De Anima*, lib. II, cap. XIX, text. 149.

(2) Cf. S. THOM. I p. q. 78, a. 4 ad 2.

Explico. Cum praedicatum aliquod commune ut genus constituat intrinsece subiectas species, non potest dividi contra sua inferiora; secus non posset de ipsis praedicari. Sed commune ut principium et radix non est pars intrinsece constitutiva propriorum, quae ad ipsum referuntur; ideoque potest merito dividi et numerari contra proprium et particulare.

Oppon. 3.^o Idem obiectum non potest movere diversas potentias. Atqui sensibilia externa movent sensus proprios. Ergo non possunt immutare sensum communem.

Resp. Dist. mai. Idem obiectum sub eodem respectu spectatum non potest movere diversas potentias, *Conc.* Sub diverso respectu spectatum, *Neg.*

Explico. Cum potentia specificetur per actum, et actus per obiectum, evidenter idem obiectum attingi nequit per diversas potentias. Hoc autem verissimum est, si agitur de obiecto formali, nempe de ea ratione, sub qua obiectum attingitur ab aliqua facultate; falsum autem est, si agitur de obiecto materiali, nempe de re, ad quam terminatur actus potentiae, cum una eademque res sub diversis rationibus attingi possit a diversis potentiis. Sic sensus communis apprehendit album et dulce, non quatenus sint immutativa visus et gustus; sed quatenus cum sint unum cum potentia visiva et gustatu, immutant per esse intentionale sensum interiorem, qui eorum differentias percipit.

Oppon. 4.^o Animus nequit suas sensationes cognoscere, nisi supra seipsum reflectatur. Atqui reflexio est propria facultatis intellectivae. Ergo cognoscere sensationes pertinet ad intellectum, non ad sensum. Ita Rosminius.

Resp. Dist. mai. Animus nequit cognoscere suas sensationes, nisi reflectatur supra seipsum, idest nisi per unum sensum attingat actum alterius, *Conc.* Nisi redeat supra seipsum reditione completa, *Neg.* *Contradist. min.* Reflexio perfecta, idest reditio facultatis supra seipsam est propria intellectus, *Conc.* Reflexio imperfecta, idest apprehensio actus alicuius potentiae per aliam, *Neg.* et *Neg. cons.*

Explico. Cum anima humana nihil efficiat, nisi mediantibus potentiis, duplex ordo distinguitur actuum profluentium ex facultatibus apprehensivis; aliqui quippe dicuntur directi, et sunt illi, qui cognoscunt obiectum diversum ab actu; alii contra dicuntur reflexi, et sunt illi, qui ipsum actum facultatis pro obiecto habent. Iam vero reflexio ipsa est duplex, nempe propria et perfecta, quae dicitur reditus completus facultatis supra seipsam; et tunc habetur, quando una eademque facultas suum proprium actum percipit: alia est reflexio impropria et imperfecta, nimirum cum, mediante una facultate, anima attingit actum alterius facultatis. Prima reflexio pertinet ad solum intellectum; nam ad hoc ut facultas redeat supra seipsam reditione completa requiritur immunitas ab organo. Secunda ex adverso potest etiam pertinere ad

facultates sensitivas; nam nulla est repugnantia in hoc, quod una potentia organica superior apprehendat operationem alterius facultatis inferioris. Ex hac doctrina, quam S. Thomas ex Proclo (1) mutuatus est, duo concludit, videlicet: 1) sensum proprium non posse cognoscere suos actus; 2) operationes sensuum specialium non posse cognosci a sensu communi. En praeclara S. Doctoris verba: «Sensus proprius sentit secundum immutationem materialis organi a sensibili exteriori. Non est autem possibile, quod aliquid materiale immuet seipsum, sed unum immutatur ab alio. Et ideo actus sensus proprii percipitur per sensum communem» (2). Haec pulcherrima S. Doctoris verba scite admodum ac profunde explicant, cur facultates organicae non sint reflexivae iuxta perfectam propriamque vocabuli significationem.

Oppon. 5.^o Differentiae sensibilibus cognoscuntur per comparisonem. Atqui comparatio pertinet ad intellectum. Ergo sensus communis redundat. Rosminius.

Resp. Dist. mai. Cognoscuntur per comparisonem formalem, quae fit componendo aut dividendo, *Neg.* Per comparisonem materiale, quae fit cognoscendo eodem actu duo differentia, *Conc.* *Contradist. min.* et *Neg. cons.*

Explico. Propositam a Rosminio difficultatem imprimidem refutaverat Scotus inquit: «Sensus communis sic confert unum sensibile alteri, quod simul sentit ipsa sensibilia, et sentit ipsa differre sine intermedio; et talis collatio... non repugnat ei» (3). Ad intelligendam hanc Scoti responsum, revocandum in memoriam est id quod diximus de ratione formali veritatis, quae invenitur solum in intellectu componente et dividente, et non in sensu concrete apprehendente differentiam duorum. Tunc enim habetur formalis collatio, quae necessaria est ad iudicium intellectus, in quo reperitur veritas formalis, cum facultas cognoscit non solum res, sed proprium actum, et eius proportionem ad res. Cum ergo nulla facultas sensitiva possit cognoscere suos actus, et eorum proportionem ad res, sequitur, in sensu cognoscente rerum differentias non esse formalem collationem, quae requiritur ad formalem veritatem habendam; habetur autem quaedam materialis comparatio ad hoc ut sensus vere iudicet seu apprehendat differentiam duorum (4). Quare ad formalem comparisonem habendam necessarium est, apprehendere conventioniam, vel discrepantiam duorum vel plurium in aliqua forma communi et universali, quae solummodo potest inveniri in intellectu, qui est cognoscitivus universalium.

(1) Cf. S. Thom. in lib. *De causis*, lect. 15.

(2) I p. q. 87, a. 3 ad 3.

(3) *De Anima*, q. 9, n. 8.

(4) Cf. S. Thom. *QQ. DD. De ver. q. 1, a. 9; I p. q. 16, a. 2.*

ARTICULUS VI.

DE PHANTASIA SEU IMAGINATIONE (1).

PHANTASIAE DEFINITIO. Phantasia, iuxta nominis explanationem, est facultas per quam aliqua nobis apparent. Secundum rei veritatem definiri solet: *Facultas organica, quae percipit sensationes et sensata sensuum externorum in eorum absentia.* Actus autem phantasiae seu imaginationis dicitur a Philosopho: *Motus factus a sensu secundum actum.* Haec facultas, uti notavimus, est prorsus necessaria animalibus perfectis et motu progressivo pollentibus, cum huiusmodi animalia ad usum vitae pluribus indigeant, quae distantia sunt, neque sub sensibus actu cadunt. In homine autem medium tenet locum inter sensum et intellectum, ideoque aliquid de utroque participat. Hoc in causa est, quamobrem phantasia in nobis perfectior virtuosiorque sit, quam in brutis animantibus, quippe quae una cum intellectu radicem habet in eadem substantia animae. Sic varia sensibilia, quae in natura divisa sunt, ipsa componit, et nos imaginamur montes aureos, hominem alatum, et alia similia; et quandoque dividit quae composita sunt. Nam cum phantasia in homine resultat ex anima intellectiva, quae essentialiter pollet vi analytica et synthetica, seu dividendi et componendi, aliquid de hac virtute derivatur ad imaginationem, quae intellectui vicinior est, quam sensus, qui immutatur ab externo sensibili. Quare, iuxta elegantem S. Thomae doctrinam, res visibiles, quae a nobis cognoscuntur, sunt in triplici differentia relate ad sensum, phantasiam, et intellectum. Comparantur enim ad sensum uti agentia sufficientia, quibus sensus non cooperatur; ad phantasiam uti agentia sufficientia, quibus imaginatio cooperatur; ad intellectum uti agentia insufficientia, cum sint intelligibiles in potentia. En aurea S. Doctoris verba: « Res quae sunt extra animam, tripliciter se habent ad diversas animae potentias: ad sensum enim exteriores se habent uti agentia sufficientia, quibus patientia non cooperantur, sed recipiunt tantum... Sed ad imaginationem res quae sunt extra animam comparantur uti agentia sufficientia: actio enim rei sensibilis non sistit in sensu, sed ulterius pertingit usque ad phantasiam, sive imaginationem; tamen imaginatio est patiens, quod cooperatur agenti: ipsa enim imaginatio format sibi aliquarum rerum similitudines, quas nunquam sensu percipit, ex his tamen, quae sensu percipiuntur componendo ea et dividendo: sicut imaginamur montes aureos, quos nunquam vidimus, ex hoc quod

(1) De hac facultate disserit ARIST. *De Anima*, lib. II, cap. XXI, et S. THOM. Com. in hunc locum et alibi passim.

vidimus aurum et montes. Sed ad intellectum possibilem comparantur res sicut agentia insufficientia: actio enim illarum nec in imaginatione sistit » (1).

PROPOSITIO.

Exsistit in animalibus perfectis phantasia, quae extenditur ad sensationes et sensata omnium sensuum externorum, et differt essentialiter ab intellectu.

Prob. 1.^a pars. Arg. 1.^{um} Phantasia est omnino necessaria ad vitam et conservationem animalis perfecti. Iam vero natura non deest in necessariis. Ergo. Propositio maior ita declaratur a S. Thoma: « Ad vitam animalis perfecti requiritur, quod non solum apprehendat rem ad praesentiam sensibilis, sed etiam in eius absentia: alioquin cum animalis motus, et actio sequantur apprehensionem, non moveretur animal ad inquirendum aliquid absens: cuius contrarium apparet maxime in animalibus perfectis, quae moventur motu progressivo; moventur enim ad aliquid absens apprehensum. Oportet ergo, quod animal per animam sensitivam non solum percipiat species sensibilibum cum praesentialiter immutatur ab eis, sed etiam eas retineat et conservet... Ad harum formarum retentionem aut conservationem ordinatur phantasia seu imaginatio, quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum » (2).

Arg. 2.^{um} Primo argumento aliud adungi potest, quod ducitur ex interna et externa experientia. Experimur quippe, nos non solum percipere res sensiles, sed etiam illas, postquam e sensibus nostris excesserint, nobis repraesentare sub sensibilibus formis, illarumque imagines contemplari tum vigilando, tum vel maxime somniando. Siquidem, ligatis sensibus externis, phantasia infinitas rerum imagines sibi efformat, vel res visas revocando, vel ex rebus visis nova simulacra fingendo. Hoc idem per externam experientiam observamus contingere in brutis animantibus; nam, uti perbelle loquitur S. Augustinus: « Per loca nota sine errore iumenta pergunt, et cubilia sua bestiae repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erumpunt; quod nullo modo possent, nisi in eorum memoria visarum, vel certe per corpus utcumque sensarum rerum versarentur imagines » (3).

Quod autem phantasia extendatur ad formas omnium sensuum conservandas, iterum manifestum est tum in nobis tum in animantibus. Nos enim saepe nobis repraesentamus non solum colorem, sed etiam

(1) *Quodlib.* 8, a. 3.

(2) *I p. q.* 78, a. 4.

(3) *Cont. Epist. Fundamenti*, cap. 17.

saporem, odorem, asperitatem, sonum corporum per sensus cognitorum; et cum gustamus aliquem cibum, percipimus convenientiam vel discrepantiam eius cum alio, quem gustaveramus. Animalia vero bruta feruntur ad res absentes conquirendas, vel eas fugiunt propter formas sensibiles ad omnes sensus pertinentes. Sic canis cernens aliquid sensibile a quo quilibet eius sensus, vel tactus, vel odoratus, vel gustus laesus fuit, illico fugam arripit.

Prob. 2.^a pars, nempe phantasiam esse facultatem organicam, et ab intellectu prorsus diversam. Hoc autem multipliciter manifestari potest; tum 1) ex eo quod huiusmodi facultatem communem habemus cum brutis intellectu carentibus; tum 2) ex eo quod dumtaxat sensibilia repraesentat, ideoque ad operandum determinatur a sensu facto in actu, et propterea Aristoteles docet, phantasiam esse motum factum a sensu secundum actum. Tam vero sensus in actu est ipsum sensibile in actu. Ergo phantasia immutatur ab objecto sensibili; unde inter facultates sensitivas adnumeranda est. En quomodo argumentatur Aquinas: « Sensus secundum actum fit ex eo quod movetur a sensibilibus; unde relinquitur quod a sensu secundum actum causatur aliquis motus. Ex quo etiam manifestum est, quia motus causatur ab actu sensus, necesse est quod sit similis sensui, quia omne agens agit sibi simile. Unde et illud quod movet in quantum movetur, causat motum similem motui, quo ipsum movetur. Ex omnibus autem his concludit, quod phantasia sit quidam motus causatus a sensu secundum actum, qui quidem motus non est sine sensu, neque potest inesse his, quae non sentiunt. Quia si aliquis motus fit a sensu secundum actum, similis est motui sensus, et nihil aliud nisi phantasia invenitur esse tale » (1).

Confir. ex eo quod anima humana substantialiter coniuncta corpori nihil intelligit sine phantasmate, uti ostendemus. Porro si phantasma requiritur ad actum intellectus, efficitur profecto vim phantasmata producendi ad intellectum non posse pertinere, nisi dicere velimus, facultatem agere posse, antequam iis praedita sit, quae sunt necessaria ad propriam operationem exerendam.

Difficultates propositae contra sensum communem proportionaliter fieri possunt contra phantasiam.

(1) *De Anima*, lib. III, lect. 6.

ARTICULUS VII.

DE AESTIMATIVA ET REMEMORATIVA.

CONTINUATIO RERUM. Inter facultates animae sensitivae supremum locum occupant in animali aestimativa et memorativa, quae quasdam intentiones apprehendunt et conservant, quae non accipiuntur per sensum exteriorem, sed cum illis coniunctae sunt, quae per sensus innotescunt nobis. Cum autem hae duae facultates sensitivae in animali rationali, nempe in homine, proxime accedant ad intellectum, propter coniunctionem cum facultate intellectrice aliquam perfectionem consequuntur in nobis, qua destituuntur in brutis. Quocirca in homine aestimativa dicitur *cogitativa* vel *ratio particularis*; et memorativa vocatur etiam *reminiscentia*. Ut haec paulo latius evolvantur, et operationes utriusque facultatis explicentur, a definitione aestimativae et memorativae incipiendum est.

Aestimativa definitur: *Facultas organica apprehensiva earum intentionum, quae per sensus exteriores non accipiuntur.*

Memorativa autem definitur: *Facultas organica conservativa et reproductiva intentionum, quas apprehendit aestimativa.*

Harum facultatum existentia, munus, et ratio sic dilucide traditur a S. Thoma: « Si animal moveretur solum propter delectabile et contristabile secundum sensum, non esset necessarium ponere in animali, nisi apprehensionem formarum, quas percipit sensus, in quibus delectatur aut horret. Sed necessarium est animali ut quaerat aliqua vel fugiat, non solum quia sunt convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates et utilitates et nocumenta; sicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris vel figurae, sed quasi inimicum naturae; et similiter avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est animali quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus externus... Ad apprehendendum intentiones, quae per sensum non accipiuntur, ordinatur vis aestimativa; ad conservandum autem eas, vis rememorativa, quae est thesaurus quidam huiusmodi intentionum » (1).

Quoniam, uti compertum experientia est, hae duae facultates reperiuntur in brutis, rite concludimus, tum eas esse organicas, nam nulla facultas brutorum est separata ab organo, tum eas esse in homine, nam in homine quicquid ad perfectionem vitae sensitivae pertinet, reperiatur necesse est. Sed in homine propter coniunctionem

(1) I p. q. 78, a. 4.

cum intellectu perfectius agunt. Hoc paulo latius evolvendum. Tum homines, tum bruta iudicant de rebus materialibus et singularibus, sed aliter et aliter; nam cum dicimus, ovem cognoscere agnum et filium, audiendo eius vocem vel ipsum videndo, ipsa non cognoscit illud individuum sub ratione communi agni vel filii, idest secundum quod subest alicui naturae communi; sed in quantum est terminus cuiusdam propriae actionis, idest prout est ab ipsa lactabilis. Sic lupus ad belatum cognoscit ovem, non propter connexionem inter effectum et causam; sed ex naturali instinctu, quo in illa voce apprehendit nutrimentum sibi conveniens. Homo autem per cogitativam seu rationem particularem, quae est in eodem subiecto cum facultate intellectrice, apprehendit individuum humanum, in quantum est hic homo, idest individuum prout subest alicui naturae communi; et ideo apprehensio intentionis particularis est diversa in homine, et in bruto.

Praestat transferre aurea S. Thomae verba ita rem explicantia: « In animali . . . fit apprehensio intentionis individualis per aestimativam naturalem, secundum quod ovis per auditum vel visum cognoscit filium, vel aliquid huiusmodi. Differenter tamen circa hoc se habet cogitativa et aestimativa. Nam cogitativa apprehendit individuum ut existens sub natura communi, quod contingit ei in quantum unitur intellectivae in eodem subiecto: unde cognoscit hunc hominem prout est hic homo, et hoc lignum prout est hoc lignum. Aestimativa autem non apprehendit aliquid individuum, secundum quod est sub natura communi; sed solum secundum quod est terminus aut principium alicuius actionis vel passionis, sicut ovis cognoscit hunc agnum, non in quantum est hic agnus, sed in quantum est ab ea lactabilis, et hanc erbam in quantum est eius cibus. Unde alia individua ad quae se non extendit eius actio vel passio, nullo modo apprehendit sua aestimativa naturalis. Naturalis enim aestimativa datur animalibus, ut per eam ordinentur in actiones proprias vel passiones prosequendas vel fugiendas » (1).

Quod diximus de aestimativa proportionaliter dici potest de memorativa, quae perfectiori modo invenitur in homine. Nam homo non solum habet memoriam, sicut cetera animalia in subita recordatione praeteritorum; sed etiam habet reminiscenciam, quasi syllogisticè inquirendo praeteritorum memoriam secundum individuales intentiones (2). Ut hoc intelligatur declarandum est quid veniat nomine reminiscenciae. Operationes quippe memoriae, et actus reminiscenciae proportionaliter ita se habent inter se, ut actus intellectus apprehendit principia per se nota, et actus rationis apprehendit conclusiones. Sicut enim principia per se nota immediate apprehendimus

(1) *De Anima*, lib. II, lect. 13 fine.

(2) Cf. S. THOM. I p. q. 78, a. 4.

statim ac menti proponuntur, et contra ad conclusiones non pertinemus, nisi mediantibus quibusdam veritatibus notis, per discursum mentis quo a noto procedimus ad ignotum: pari modo simplex actus memoriae tunc habetur, cum sine ullo medio illico recordamur alicui rei iam pridem cognitae: et ex adverso actus reminiscenciae tunc habetur, quando ad revocandum aliquid in memoriam utimur uno vel quibusdam mediis, quibus in antecessum, et ordine quodam recordamur. Exemplo sit, si recordatio occurrit alicuius hominis, quocum simul iter peregrimus, cuius nomen oblitus sumus. Per reminiscenciam possumus ad memoriam nominis revocandam pervenire hoc ferme pacto. Recordamur locum et per locum personas quibuscum eramus, et sermones simul habitos; et recordatione sermonum occurrit, alicum advenientem salutasse socium itineris nostri, ipsumque nominasse Antonium vel Carolum; et sic tandem recordamur nomen illius hominis, quod quaerebamus. Huiusmodi discursus ex uno in aliud, qui quandam speciem habet ratiocinii commemorativi, dicitur *reminiscencia*, quae sic definita et declarata fuit a S. Thoma: « Reminiscencia nihil aliud est, quam inquisitio alicuius, quod memoria excidit. Et ideo reminiscendo venamur, idest inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori, quod in memoria tenemus; puta si quaerit memorari id quod fecit ante quatuor dies, meditatur sic: hodie feci hoc, heri illud, tertia die aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum pervenit resolvendo in id quod fecit quarta die » (1).

Placet huic quaestioni finem imponere illustribus S. Augustini verbis, quibus eleganter more suo vim rememorativam animi humani sic depingit: « Quid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit, cum obliviscimur, et quaerimus ut recorderemur? Ubi tandem quaerimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respicimus, donec illud occurrat quod quaerimus, et cum occurrit, dicimus: Hoc est; quod non diceremus, nisi agnosceremus, nec agnosceremus, nisi meminissemus. Certe ergo oblitus fueramus. An non totum exciderat, sed ex parte, qua tenebatur, pars alia quaerebatur, quia sentiebat se memoria non simul volvere, quod simul solebat, et quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi, quod deerat, flagitabat? Tamquam si homo notus sive conspiciatur oculis, sive cogitetur, et nomen eius oblitus sive conspiciatur oculis, sive cogitetur, non connectitur, quia non cum illo cogitari consuevit, ideoque respuitur, donec illud adsit, ubi simul assuefacta notitia non inaequaliter adquiescat. Et unde adest, nisi ex ipsa memoria? Nam et cum ab alio commoniti recognoscimus, inde adest. Non enim quasi novum credimus, sed recordantes approbamus, hoc esse quod dictum

(1) *De memoria et reminiscencia*, lect. 5.

est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc oblitus sumus, quod vel oblitus nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum quaerere poterimus, quod omnino oblitus fuerimus » (1).

QUAESTIO III.

De facultate intellectiva animae, eiusque obiecto seu intelligibili.

RES TRACTANDA PROPONITUR. Tria sunt cognoscendum genera; quaedam enim habent solum cognitionem sensitivam, nimirum animantia bruta; quaedam ex opposito habent solum cognitionem intellectivam, nimirum Intelligentiae seu Angeli; quaedam demum pollent simul cognitione sensitiva et intellectiva, nimirum homines. Quare homo in confinio positus utriusque creaturae, id est materialis et spiritualis, operatione sua utrumque creaturarum ordinem assequitur; ita ut si sentire ipsi commune sit cum pecudibus, mentem et intellectum sibi vindicet communem cum Angelis. De praestantissima hac hominis facultate sic eleganter more suo meminit Tullius: « Homines enim etsi aliis multis, tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque et acrem et vigentem, celerissimeque multa simul agitantem, et ut ita dicam sagacem; quae et causas rerum et consecutiones videat, et similitudines transferat, et disiuncta coniungat, et cum praesentibus futura copulet, omnemque complectatur vitae consequentis statum » (2). Expeditis ergo quaestionibus de sensu, quem cum bestiis communem habemus, ipse disputationis ordo requirit, ut de intellectu disseramus, quo et belluis antecellimus, et ad puros spiritus quadantenus accedimus. Si quidem intellectus noster in cognoscendo mirum quantum supra sensum extollitur, cum eius actio perceptiva ad omnia quodammodo extendatur, quae habent rationem entis. Ex adverso cum per res materiales immaterialiter cognitatas ascendat ad aliqualem cognitionem rerum immaterialium et invisibilium capessendam, a perfectione intellectus angelici in cognoscendo plurimum abest, ideoque infimum gradum sibi vindicat potentiae intellectivae.

(1) *Confess.* lib. X, cap. XIX, n. 28; cf. etiam *De Trin.* lib. XII, cap. IV et VII.

(2) *De finibus*, lib. II, cap. XIV.

ARTICULUS I.

AN INTELLECTUS HUMANUS SIT FACULTAS IMMATERIALIS ET INORGANICA.

QUAESTIO DEFINITUR. Cum intellectus humanus sit facultas cognoscitiva radicata in eadem essentia animae, ex qua facultates sensitivae proficiunt; cumque, uti experimento constat, nihil in praesenti statu intelligamus sine phantasmate, sponte sua oritur quaestio, utrum intellectus sit facultas, quae sedem habeat in sola anima, vel in aliquo organo animato. Ad hanc quaestionem rite solvendam, ductu auspicioque Aristotelis et S. Thomae, a notioribus ad minus nota procedemus, et ex iis, quae sensui una et intellectui communia sunt, ad ea aperienda accedemus, quibus alter ab altero essentialiter differt; et sic per genericam rationem facultatis cognoscitivae pervenimus ad determinandam rationem specificam et differentialem, secundum quam intellectus sensui praestat.

Intellectus confertur cum sensu. Principio quidem hoc intellectus cum sensu convenit, quod ambo sint facultates cognoscitivae; ambo rerum cognitarum formas in se recipiunt; ambo denique cum aliquid agant, aliquid etiam patiuntur. Huiusmodi convenientia sic notatur a S. Thoma: « Similitudo ex hoc manifesta est, quod sicut sentire est quoddam cognoscere, et sentimus quandoque quidem in potentia, quandoque autem in actu, sic et intelligere cognoscere quoddam est, et quandoque quidem intelligimus in potentia, et quandoque in actu. Ex hoc autem sequitur, quod cum sentire sit quoddam pati a sensibili, aut aliquid simile passioni, quod intelligere sit vel pati aliquid ab intelligibili, vel aliquid alterum huiusmodi, simile scilicet passioni » (1).

Verum si sensus et intellectus in eo conveniunt, quod ambo sint facultates cognoscitivae; differunt nihilominus plurimum ex eo quod intellectus multo differentius quam sensus proprias operationes exerit; nam intellectus suam activitatem exercet sine ullo corporalis organi adiumento, cum ex adverso sensus in suis operationibus ab organo materiali dependeat. Qua de re merito a S. Thoma sensatio nuncupatur actus organi, et facultates sensibiles vocantur virtutes organicae affixae; intellectus autem dicitur fieri in anima sine ulla organi communicatione (2). Convenientiam et discrepantiam intellectus et sensus sic paucis exhibet idem Aquinas: « Sensitivum quodammodo se habet ad sensibile, sicut intellectivum ad intelligibile, in quantum scilicet

(1) *De Anima*, lib. III, lect. 7.

(2) Cf. *QQ. DD. De Anima*, a. 10.